

CHRISTIANO LECTORI SALUTEM QUAM PLURIMAM PRECOR.



Postquam reprehenderat Christus servum malum & pigrum, Lector candide, quod talentum suum in terra absconderit, nec quicquam lucratus fuerit, tandem dixit: Tollite ab eo talentum & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit; qui vero non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Matt. 25. v. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. Quorum Christi verborum valor & vigor singularis merito quemlibet cordatum accendat & alliciat ad industriam sparte, a Deo sibi commissa, exornationem & sedulam concessorum sibi donorum usurpationem. Quid enim? Servus iste malus & piger, Dei severi judicis & vindicis incurrit iram, & atrocem, ceu Cecias nubes, accelerat & ad se attrahit pœnam. Talentum enim ab ipso tollitur, & alii datur: imò quod non habet, ipsi adimitur, & nisi resipiscat, æternum damnatur. Ubi si alicui mirum Christi pronunciatum videatur; siquidem, quod quis non habet, id ei adimi nequit; privatio enim prærequirit habitum: is sciat, & hic locum habere regulam: Sæpe Sacra Scriptura nobis videtur loqui simpliciter & illimitate, cum tamen loquatur comparate & limitate. Quare cum Christus ait: Qui vero non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo: sensus est; qui non habet scilicet recte & bene, ita ut per Dei auxilium, dona sibi præbita studeat cum aliis communicare, ad perennem Dei solius gloriam, & Reipublicæ Christianæ exedificationem, etiam id, quod habet, nimirum malè & vitiosè; possidendo quidem, sed nunquam vel non recte usurpando, verum per ignaviam, aliaque vitia & maleficia, in terram quasi defodiendo nullosque fructus producendo; auferetur ab eo, i. e. ex justo Dei judicio suis donis & bonis spoliabitur, (id quod etiam quotidiana testatur experientia) & orbabitur. Hinc Theoph. abbreviator Chrysostomi, in caput 13. Matthæi ait: Bene diximus, adhibenti studium datum esse, scientia abundantior fieri; quia adhibet studium & mentem dignam. Ab eo autem, qui non studium, nec mentem, ut par est, adhibet, etiam tolli, quod habere videtur (Luc. 8. v. 13.) hoc est, etiam si parvam quandam boni scintillam habeat, & eam non excitet & accendat per spiritum & spiritualia opera, extingui. Et in cap. 25. Matthæi inquit: „Qui non solum sibi soli prodest, sive prudentiam habeat sive divitias, sive potentiam habeat & auctoritatem apud Reges, sive quamcunq; aliam vel artem, vel facultatem; sed & aliis vult prodesse, is duplicat quod sibi datum est. Qui autem talentum fodit in terram, is est qui suæ tantum utilitatis curam habet, & non aliorum, qui & condemnatur. Et si bonæ mentis & studiosum hominem videris, qui ingenio suo ad negotiationes, dolos & terrena opera abutitur, de illo dicas, quod defoderit talentum